

DE IIS,
QUAE IN SACRAMENTORUM,

Administration Generaliter servanda sunt.

TITULUS SECUNDUS.

SUMMARIUM.

- 1 Quanam veniant sub nomine generali in administratione Sacramentorum?
- 2 Rituale Romanum inhaeret antiquis Ecclesiae Institutis, et praesertim Apostolicis traditionibus.
- 3 An Ecclesia Universalis possit novas caeremonias, et obligatoria praecepta circa eas imponere?
- 4 Rituum mutatio, ac innovatio ad Ecclesiam tantummodo spectat, et de illis iudicium, et censura.
- 5 Ritus nonnulli communes inter Christianos, et Infideles.
- 6 An condito novo Testamento Caeremoniae Veteris Testamenti sint sublatae?
- 7 Usus caeremoniarum Veteris Testamenti paulatim decessit.
- 8 Ritus Sacri custodiendi sunt, explicandi, et promulgandi a Concionatoribus.
- 9 Fideles ubique locorum esse debent uniformes in sacris Ritibus.
- 10 Locus Concilii Tridentini contra contemptores sacrorum Rituum.
- 11 Ritus debent approbari, nec sufficit si introducti sint sine approbatione.
- 12 Concilium Tridentinum observari debet rigorose quando Sacramenta publice administrantur.
- 13 In privata administratione aliquae Caeremoniae particulares omitti, possunt et praecipue in casu necessitatis.
- 14 Caeremoniae nec omitti, nec contemni possunt sine peccato.
- 15 Distinctio inter contemptum, et omissionem.
- 16 Episcopi non possunt mutare Ritus absque approbatione S. R. E.
- 17 In ecclesia nihil sanctius Sacramentis.
- 18 Soli Parocho post Pontificem, et Episcopum competit administratio Sacramentorum.
- 19 Simpliciter Sacerdoti requiritur delegatio pro administrandis sacramentis.
- 20 Regulares habent privilegia ministrandi Eucharistiam sine licentia supradicta.
- 21 Sancta sancte tractanda sunt.
- 22 Quanam puritas necessaria sit Sacerdoti?
- 23 Quanam Pietas necessaria? Ubique demonstranda.
- 24 Error Wicleff, qui assererat non confici Sacramenta a Sacerdote in peccato mortali existente. Sacerdos tamen peccat mortaliter sic ministrando.
- 25 Impune quid significet?
- 26 Indigne aequivalet Inhoneste.

- 27 Quomodo, et quando sit mortale ministrare Sacramentum in mortali?
- 28 Ignorantia excusat a mortali.
- 29 Si non administraverit, non peccat.
- 30 Debet conari, ut in gratiam restituatur, et quomodo?
- 31 Sacerdos non debet se confiteri indutus sacris paramentis.
- 32 Quando liceat sine praevia confessione ministrare?
- 33 Quaquumque hora Parochus debet esse promptus ad ministranda Sacramenta.
- 34 Qua diligentia tenetur Parochus properare viam?
- 35 Regulae tenendae quando Parochus vocatur tempore nocturno.
- 36 An de nocte induere debeat Vestem talarem?
- 37 Quomodo Parochus se gerere debeat si adsit metus propriae vitae?
- 38 An Aeris intemperies sit periculum magnum?
- 39 Qua poena afficiendus Parochus recusans ministrare Sacramenta?
- 40 An Parochus debeat vocari, vel ipse quaerere indigentes Sacramentis?
- 41 Parochus debet monere populum ad se vocandum.
- 42 Non est peccatum si ministraturus Sacramenta orare omittat.
- 43 Paululum orare debet, non prolixè, et cuinam orationi vacare?
- 44 Parochus debet praevidere Caeremonias necessarias.
- 45 Vestes sacrae adhibendae in omni Sacramentorum administratione, et quid significant?
- 46 Superpelliceum, seu Cotta quid sit? et varia circa eam.
- 47 Cotta et stola debet indui, non superimponi brachio.
- 48 Orationes praescriptae an recitari debeant in actu quo vestes induuntur?
- 49 Stola describitur, et de ea varia observantur.
- 50 Stolae pro administrandis Sacramentis habeantur se junctae ab aliis.
- 51 Colores Ecclesiastici olim quatuor, nunc quinque, et cur?
- 52 Pompeji Sarnelli Episcopi Vigilien epistola ad Authorem circa colores.
- 53 Sufficit, ut colores emineant in paramentis, nec paramenta sint unius coloris.
- 54 Stolae Versipellis detestatio.
- 55 Colores adhibendi juxta Ritus Sacramentorum.
- 56 Casus in quibus possunt ministrari Sacramenta sine Cotta, et Stola.
- 57 Clerici, et Ministri adhibendi in administratione Sacramentorum.
- 58 Foeminae an adhiberi possint ad inserviendum Sacerdoti ministranti?
- 59 Quaelibet Ecclesia Parochialis debet habere saltem unum Clericum.
- 60 In casu magnae penuriae quilibet inservire potest, non tamen cum Cotta.
- 61 Clerici possunt cogi ad inserviendum Ecclesiae.
- 62 Regulares ut plurimum sunt diligentes in custodienda sacra supellectile.
- 63 Inventarium supellectilium sacrarum confici debet a Parocho.
- 64 Claves Sacramentorum stare debent penes Parochum.
- 65 Quando, et quomodo desit integritas Sacrorum Vasorum?
- 66 Virtus, et usus Sacramentorum explicandi a Parocho.
- 67 Constitutio Benedicti Papae Decimertii circa Congregationes Cleri pro sacris Ritibus.
- 68 Singula verba in conficiendis Sacramentis exprimi debent.
- 69 Memoriae nihil fidendum in ministratione Sacramentorum.
- 70 Tutior modus est si legatur forma in libro Rituali.
- 71 Sacramenta cum gravitate ministranda sunt.
- 72 Omnes extraneae cogitationes deponendae dum ministrantur Sacramenta.
- 73 Intentio necessaria pro Administratione valida Sacramentorum.
- 74 Nihil lucri sperandum, vel exigendum est pro tali administratione.
- 75 Quidquid sponte offertur, potest accipi, ubi est consuetudo.
- 76 Cui consuetudini potest Episcopus derogare.
- 77 Parochus non debet ministrare fidelibus alienae Parochiae.
- 78 Potest tamen in casu gravis necessitatis.
- 79 Episcopus potest dispensare, non obstante consuetudine.
- 80 Monitiones a Parochis non sunt faciendae in specie, sed in genere.
- 81 In Sacramentis suscipiendis convenit decentia accessus.
- 82 Foeminae in suscipienda Eucharistia debent esse velatae.
- 83 Maxima utilitatis est interesse ministrationi Sacramentorum.
- 84 Ritualis liber debet semper esse apud Parochum.

- 85 Alii libri ad usum Ritualium non admittendi.
- 86 Circulus Aureus prohibitus a Benedicto XIII. P. M.
- 87 Conjuraciones additae Rituali Romano, prohibita
- 88 Rituales diversi quocumque idioma prohibiti.
- 89 Rituale Roman. compactum fuit ad habendam uniformitatem in Ritibus.
- 90 Sacramenta quae unice ad Episcopos pertinent non sunt in Rituali.
- 91 Illorum tamen usus, et fructus debet a Parochis explicari.
- 92 Libri necessarii apud Parochos circa functiones Parochiales.
- 93 Illos Parochi religiose custodire debent ob authenticam illorum fidem.

Sub hoc Generali titulo complectuntur ea, quae universaliter, et sine specialitate pertinent ad integritatem Ministri, et Ministerii, pro recta Sacramentorum administratione, in quibus Sacerdotem instrui opus est: non enim sufficit, ut practicarum, ac particularium regularum ministerii sui scientiam habeat, si ignoret quae ad Ministrum spectant. Itaque primo Rituale loquitur in genere, ad distinctionem Rubricarum particularium unicuique Sacramento appositarum, de quibus infra erit sermo.

§. I. Ut ea quae ex antiquis Catholicae Ecclesiae institutis, et Sacrorum Canonum, Summorumque Pontificum decretis de Sacramentorum Ritibus, ac Caeremoniis hoc libro praescribuntur, qua par est, diligentia, ac religione custodiantur, et ubique fideliter serventur; illud ante omnia scire, et observare convenit, quod Sacrosancta Tridentina Synodus de iis Ritibus decrevit in haec verba, etc.

2 Ex hoc patet, Rituale Romanum antiquis Ecclesiae institutis, et Sacrorum Canonum decretis inhaerere, utpote ex istis compactum, ne ab Ecclesiae veris semitis declinarent Ministri, et Caeremoniae. Praecipue ex Apostolicis traditionibus hoc factum fuisse credendum est: Apostoli enim, absque controversia Rituum ecclesiasticorum, Authores fuere; ex Dionys. Areop. cap. 2. de eccl. hierarch. Quod item docuit D. Basilius, et alii, qui in hoc concordant, quod Ecclesia Christi non solum voce utitur ad Deum laudandum, sed etiam externis caeremoniis, quarum multae ab Apostolis acceptae sunt, reliquae a posteris utiliter superadditae.

3 Utrum universalis Ecclesia possit novas caeremonias, et obligatoria praecepta circa eas imponere, omnes DD. disputant, sed omnes concorditer affirmant: Sicut enim Spiritus Sanctus in Concilio Apostolorum praesidebat, ita, et in praesenti disponit de his, quae ab Ecclesia decernuntur, ex quo evenit, ut

ista errare non possit. Inquit enim D. Augustinus l. contra epist. Fund. Manich. c. 5. t. 6. Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Catholicae Ecclesiae commoveret autoritas. Certum est namque Caeremonias, seu Ritus, quos Ecclesia servari instituit, esse signum altissimarum rerum, et in iis maxima caelestium Sacramenta arcanorum, ad Dei majestatem contemplandam includi, quae etiam in Veteri Testamento maximi momenti erant.

4 Quare Rituum mutatio, ac innovatio ad Ecclesiam tantummodo spectat; et de his iudicium, et censura: placuit enim tam piaae Matri caeremonias sensibiles tradere [quibus exclusis, divinus cultus claudicaret] eo quia natura hominum non ita facile quis sine adminiculis exterioribus, ad rerum divinarum meditationem sustolli. D. Augustinus, l. 33 de lib. arb. unde fit, quod etiam visibilia Dei, per ea, quae sunt invisibilia, nobis demonstrantur. D. Ambrosius c. 4. in Luc. Cum vero mentem mutare, et de proposito discedere homines facile possint, caute provisum fuit, ne cuiquam liceret immutare minimum verbum, vel introducere novas caeremonias absque expressa licentia Sac. Rit. Congregationis. Qui secus fecerint, eos animadversione dignos censuit Sac. Rit; Cong. 12. Nov. 1605. et. 12. Maji 1612. per alleg. a Barbos. et Corfett. Tract. 2, p. 1. sect. 1. Add.

5 Quid insuper dicendum de Ritibus Christianis cum Ethnicis communibus, qua de causa Sectarii de Idololatria Catholicos arguunt? Respondendum cum D. Hieronymo contra Vigilian T. 2. cap 3. his verbis: Quicumque accendunt cereum, secundum fidem suam habent mercedem; dicente Apostolo; Unusquisque in sensu suo abundet. Rom. 14. Idololatrias appellas hujusmodi homines? Non diffiteor, omnes nos, qui in Christo credimus, de Idololatriae errore venisse; non enim nascimur, sed renascimur Christiani: et quia aliquando colebamus Idola, nunc Deum colere non debemus, ne simili cum videamur cum Idolis honore venerari? Illud fiebat Idolis, et idcirco detestandum est; et hoc sit martyribus, idcirco recipiendum est. Apostolus enim dicit: Omnia autem probate: quod bonum est tenete, 1. Thess, 5. cap. 21. Gentiles etenim cum Judaeis illorum antiquioribus ritus communes habuerunt, ut late probat Baronius ex SS. PP. Verum Ritus gentiles qui sunt contra bonos mores, quamvis per abusum inveteratos S. M. Ecclesia summopere eradicare studuit, et hoc aetate Africani Concilii PP. ab Impp. petierunt, ut in Can. 27. nam licitum consuetudine non sit quod est lege prohibitum, monente doctissimo P. M. Vincentio Ludovico Gotto hujus aetatis dogmatico eximio, et haereseum profligatore acerrimo Ordin. Praedicator. in lib. Colloquiorum, colloq. 13. num 8. An, quando dispositio legis Civilis, vel Canonicae pugnat cum lege rituali Judaeo-

rum, sit inter Judaeos in concernentibus ritus, et caeremonias servanda lex Civilis, vel Canonica; an vero lex Ritualis, egregie docet Ricciull. *de Jure Personar. extra Eccles. 1. 2. c. 18. per totum.*

6 Ad illud quod aliqui quaerunt: An condito novo Testamento, caeremoniae veteris Testamenti ita sublatae sint, ut earum usus interdicator? Respondendum, Caeremonias omnes, et maxime Veteris Testamenti latentium rerum Sacramenta designare; aliae enim futuram gratiam praenuntiant, aliae praesentia mysteria futuris etiam temporibus duratura. Quibus addo, Redemptorem nostrum, ut ex *Matth. 5.* venisse, non ut solveret, sed ut adimpleret: ideo cum antiquae caeremoniae illum venturum significarent, omnino adimpletae sunt per ejus adventum, atque ideo sublatae. Usus enim caeremoniarum Veteris Testamenti non est ad salutem necessarius; nam illis exclusis, adhuc janua salutis patet per sanguinem Christi, cujus voluntas per mutatas caeremonias mutata non est, nec mutatur fides in Novo Testamento per diversitatem caeremoniarum.

7 Quarum usus non subito, et irreligiose, sed paulatim, et cum quadam veneratione aboleri debuit. Tria enim tempora distinguenda sunt cum Beccano *d. l. 1. c. 4. n. 9.* Primum ante mortem Christi: Tunc simul viguit Synagoga vetus, et Ecclesia nova, simul lex, et Evangelium. Alterum in morte Christi. Tunc spiravit Synagoga cum suis caeremoniis, et sacrificiis: tunc Velum Templi scissum est in duas partes: tunc lex Mosaica abrogata est, docente D. Augustino, *epist. 19. ad Hieron.* et Hieronymus ipse, *epist. ad August.* quae est undecima inter *epist. Augustini, et Div. Thomas 1. 2. quest. 103 art. 3. ad 2.* Tertium post mortem Christi: Tunc Synagoga sepulta est: tunc caeremoniae et Sacrificia Mosaica, quae jam antea erant mortua, coeperunt foetere, vel ut verbis Theologorum utar, coeperunt esse mortifera. Attamen quamvis hodie caeremonias illas nihil nobis prodesse putemus, tamen ad hoc utiles nobis sunt, ut hujusmodi mysteria jam impleta intelligamus; oportet enim moralia per caeremonias illas significata servare. Atque haec de Caeremoniis, ac Ritibus in genere dicta sint. De quibus fusius Casalius *de Vet. Rit. Christ. cap. 58.*

8 Quoad illud verbum *custodiantur*, monet D. Bernardus *epist. 174. Ego quae accepi ab Ecclesia, securus teneo, et trado.* Imo Div. Carolus Borromaeus *Const. Synod. 1. de Praedico. Verbi Dei:* id expresse jubet Concionatoribus, ut in Sacrorum Rituum dilucida explicatione versentur, et Ritus Romanae Ecclesiae in Cathedralibus adhibeantur, quibus aliae Ecclesiae Parochiales uniantur.

9 Ex verbo tandem *Ubique*, patet intentio Ecclesiae, quae per quantum in se est, fideles in iisdem Ritibus, ubique Regionum uniformes esse desiderat, ac omnes in unum Romanum Ritum

coalescere. Contra vero negligentes, et minus observantes hos Ritus stat Concil. Tridentinum verbis sequentibus.

§ II. Si quis dixerit, receptos, et approbatos Ecclesiae Catholicae Ritus in solemnibus Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.

10 11 Locus est *Session. 7. can. 13. de Sacramentis in genere.* Circa quem Canonem vide Henriquez *in Summ. l. 1. c. 11. Coninck. de Sacrament. tit. 1. quaest. 66. num. 99. et quaest. 71. num. 3. Reginald. Prae. for. Poen. l. 26. num. 10. et 28. cum seqq.* Ledesma *in Summ. part. 1. de Sac. ubi de Baptismo, cap. 12. concl. ult. in fine.* Bonacina *de Sacrament. disp. 1. quaest. ult. de Bonis de exam. Eccl. part. 1. tr. 4. cap. 2. quaest. 7. in fine.* Molles *in Summ. Theol. Moral. tr. 1. cap. 9. num. 7.* Hurtado *de Sacram. tr. de Confirm. diff. 14. in fine.* Barbos. *Collec. in Concil. Sess. 7. can. 13. num. 15.* ex quibus eruitur, non sufficere, ut Ritus recepti sint: possunt enim recipi per abusum, et tacita tolerantia, vel consensu; sed approbari debent, cum enim habeant vim legis, et obligent sub peccato, privilegium legis est, ut sit promulgata, et acceptata, ex communi DD. sententia.

12 13 Notandum est, quod lex Concilii tunc observanda est in Sacramentorum administratione, quando Sacramenta publice administrantur: unde in privata eorundem distributione aliquae particulares caeremoniae omitti possunt sine peccato, et de facto omittuntur in casu necessitatis, quod evenire non debet in solemnibus actione, de qua loquitur hic Concilium, eo quia tunc Sacramentum est in sua splendidiori demonstratione, et majestate, nec habet quidquam, quod dispensare valeat Ministrum ab observantia statutorum Rituum. Ex hoc tamen non est facienda illatio quod in tali privata administratione possint ad libitum introduci novi Ritus, et Caeremoniae; atque ita omitti essentiales, et necessariae a Ritualibus praescriptae.

14 Insuper per verbum *Contemni* intelligit Concilium, Ministros Ecclesiae non posse nec contemnere, nec omittere sine peccato Ritus antiquos et novos introducere, cum hoc ad Ecclesiam unice spectet, nec posse fieri absque expressa facultate docet ipsamet S. R. C. *in una Urbis 12. Maji 16. 12.* Coninck. *de Sac. q. 66. n. 89, et q. 71. n. 3.* Reginald. *Prae. for. Poen. l. 27. n. 10. et 28. cum seqq.* Ledesma, *Summ. part. 1. tract. de Bapt. c. 12. conc. ult. in fine.*

15 Inter Contemptum, et Omissionem haec datur distinctio. Sub nomine Contemptus cadunt quae fiunt cum animi taedio, sordide, et indevote: qui negligunt enim sacras caeremonias, signum praebent indevotionis; et qui indevoti sunt, caeremias contemnunt, neque de illis curant. Corsert. *Prae. Introd.* Quomodo cognoscatur Contemptus in peccante, vide *gloss. cap. Metropolit. 2 q. 2. Felin. cap. cum quidam, de Jurejur. vers. sed non declarat, num. 7. coll. 155. p. 2.* Atque iste contemptus peccatum mortale est, eo quia circa rem gravem versatur, quae nullam, nec in ministris, admittit confidentiam: multo magis si temeatur scandalum.

Omissionis vero nomine appellamus ea, quae (seclusa oblivione, ignorantia inculpabili, et inadvertentia, quae culpam imminuunt) vel reticentur totaliter, vel negligunt, et mortalem culpam important, praesertim si Rubricae sint praeceptivae, secluso vero si directivae, nisi ex contemptu omittantur. Nunquam vero contra Rubricas delinquentibus excommunicationis poena infligitur, quae infertur in Canone superenunciato, Catech. Rom. *p. 2. n. 18.* quia aliud est omittere, et contemnere, aliud est doctrinam sustinere contrariam, quae immunes a peccato doceat esse, qui Rubricas contemnunt, vel omittunt, vel novos Ritus instituunt.

16 Neque Pastores, quorum appellatione veniunt Episcopi, Archiepiscopi, et Patriarchae, possunt mutare, vel introducere novos Ritus absque approbatione S. R. E. ut eadem saepius decrevit, et praecipue loco supra allegato ex Barbosa *de Pot. Episc. alleg. 17. n. 6.*

§. III. Cum igitur in Ecclesia Dei nihil sanctius, aut utilius, nihilque excellentius, aut magis divinum habeatur, quam Sacramenta ad humani generis salutem a Christo Domino instituta; Parochus, vel quivis alius Sacerdos, ad quem eorum administratio pertinet, meminisse in primis debet, se sancta tractare, atque omni sere temporis momento ad tam sanctae administrationis officium paratum esse oportere.

17 Per Sacramenta omnis vera justitia incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur, Conc. Trid. *sess. 7. de Sacram. in Prooem.* ideoque nihil sanctius respectu mysteriorum, nihil utilius respectu Animarum, nihil excellentius respectu Autoris, Christum enim Redemptorem nostrum, institutorem fuisse omnium Sacramentorum satis patet ex pluribus Scripturae locis:

quapropter D. Ambrosius *l. 4 de Sacrament.* inquit: *Author Sacramentorum quis est nisi Dominus Jesus? de Coelo ista Sacramenta venerunt.* Et Concil. Trid. *sess. 7. de Sacram.* haec habet: *Si quis dixerit, Sacramenta novae legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora, etc. Anathema sit.*

18 Parocho tribuit Textus noster facultatem ministrandi Sacramenta, quia post summum Pontificem et Episcopos, illi soli competit illorum administratio: imo de Jure divino, ipse tenetur ea ministrare, Possevin. *de off. Cur. c. 5.* qui cum Tridentino concordat *sess. 23. cap. 1. de reform.* Nam etsi Sacerdotibus quibuscumque, ex Christi institutione, competat ordinaria potestas administrandi Sacramenta, ut habemus, *ex c. pervenit, de cons. dist. 2.* Et ex Trid. *sess. 13. c. 8. de Euchar. Sacramento:* cum tamen in illis jurisdictio desideretur, illicite faciunt si ministrent absque delegata, vel ordinaria jurisdictione. Barbosa *d. de pot. Paroch. c. 20, n. 1. et 2.* aliud enim est potestas, aliud jurisdictio. Cumque Grex illis deficiat, Pastoris munere uti non debent, quia vere Pastores non sunt. Excipiendi sunt tamen casus necessitatis, in quibus cuique Sacerdoti tacite datur ista facultas ex vi Ordinis.

Quare ipse Textus subdit: *Vel quivis alius Sacerdos:* nam, ut diximus, ex Christi institutione, quicumque Sacerdos potestatem habet ministrandi Sacramenta: nihil aliud itaque hic desideratur, nisi delegatio facta a Parocho.

19 De licentia expressa igitur Parochi, valet simplex Sacerdos Sacramenta ministrare, etiam si non sit ab Episcopo expositus ad Sacramenta ministranda (excepto tamen Sacramento Poenitentiae, in quo specialis jurisdictio ab Episcopo tantum datur, et seclusa Episcopi reservatione.) Ad haec enim non est necessaria actualis jurisdictio, seu potestas, sed tantummodo potentia ad distribuendum, Barbos. *d. de Off. et pot. par. c. 20 num. 6.*

20 Hac igitur facultate recte uti potest quilibet Religiosus Presbyter, quia a Concil. Tridentino non aufertur a simplicibus Sacerdotibus haec potestas distributiva si habeant ad id licentiam a Parocho, vel a Sancta Sede Apostolica: quae licentia tamen a Regularibus non petitur, quia Regulares habent privilegium ministrandi Sacram Eucharistiam omnibus Christianis fidelibus in suis Ecclesiis per se, vel per alios Sacerdotes, non requisita licentia Parochi, ut patet ex privilegiis Nicolai V. Sixti IV. Leonis X. et aliorum Summorum Pontificum apud Lantusca, *Theatr. Regular.*

21 Sequitur Rubrica praecipiens Parocho. seu Sacerdoti, ut reminiscatur se sancta tractare; et non sufficit, ut hoc in abstracto illi innotescat, sed in actu meminisse debet. Scimus enim nos omnes Christi-fideles mandata legis, sed non omnes

opportune eorum recordamur. In actu igitur administrationis Sacramenti meminisse debet Sacerdos se sancta pertractare: Sancta enim sancte tractanda esse docet Concil. Trid. *sess.* 22 *c.* 5, *de Sacr. Miss.* nam nihil sanctius in domo Dei ipsis Sacramentis a Christo Domino institutis, Castald. *Praa. lib.* 2. *sess.* 14. *cap.* 1. *n.* 1. Sacerdotium sanctum est, Trident. *sess.* 23 *c.* 2. *Sacr. Ord.* Sacramenta sanctissima ex allatis; ergo quid turpius, in tanta rerum sanctitate solos Sacerdotes sancte non procedere? Id nobis innuit Isaias 2. *Sancti estote quia ego sanctus sum.*

§. IV. Quamobrem illud perpetuo curabit, ut integre, caste, pieque vitam agat: nam etsi Sacramenta ab impuris coinquinari non possint, neque a pravis Ministris eorum effectus impediri: impure tamen, et indigne ministrantes, in aeternae mortis reatum incurrunt. Sacerdos ergo, si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit) ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde poeniteat; sed si habeat copiam Confessarii, et temporis, locique ratio ferat, convenit confiteri.

22 Ne a peccati vinculo detineatur Sacerdos, cura, quam de se habere debet, non per momentum est duratura, sed *perpetuo*, ut quocumque tempore ad Sacramenta ministranda aptus sit, non aptitudine materiali, sed praeparatione spirituali quae consistit in cordis munditie. *Perpetuo* igitur studebit Sacerdos integritati, idest inculpabilitati, in omnibus verum se Dei ministrum exhibendo. Primo, Animo, et corpore a carnis inquinamento immunis esse debet: nam, ut ait D. Chrysostomus: *Necesse est Sacerdotem sic esse purum, ut si in ipsis Coelis collocatus, inter caelestes illas virtutes medius staret.* Quapropter ejus animam solaribus radiis puriorem esse oportet, adeo ut Sacerdoti dicere vereliceat cum Apostolo: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus:* Ne quando desolatum illum Spiritus Sanctus relinquat. Cui concordat D. Basilius: *Splendore enim Vitae totum illuminantis Orbem fulgere debet animus Sacerdotis:* In quo, ut sequitur D. Ambrosius, *lib.* 1. *epist.* ad *Iren.* *Nihil plebejrum requiri debet, nihil populare, nihil commune cum studio, atque usu et moribus multitudinis.*

23 *Pietati* quoque sedulo incumbere debet, scilicet pie, devote, et cum charitate procedere in omnibus, ut non vituperetur ministerium illius, 2, *Cor.* 7. Quare Conc. Trident. *sess.* 14. monet quod Clerici Laicos in vita, sicut in Officio praece-

dant: nihil enim majus est quod alios magis ad pietatem, et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita, et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt, *sess.* 22. *c.* 1. *de Ref.*

Quamobrem non inutile erit si admonitionem a Magno Gregorio, *hom.* 17. *in Evang.* Sacerdotibus factam, saepe animo repetant: *Timeamus vehementer, charissimi, et curemus, ut conveniat actioni nostrae ipsum ministerium nostrum; de nostra quotidie relaxatione cogitemus, consideremus sine cessatione, quia sumus (nempe Sacerdotes) pensemus negotium nostrum, pensemus pondus, quod suscepimus; faciamus quotidie nobiscum rationes quas cum Judice nostro habebimus.*

Neque ista pietas, seu vitae honestas tantummodo in sacramentorum rerum tractatione demonstrari debet, sed quocumque tempore, quacumque occasione, cum quibuscumque sociis, et in quocumque loco apparere debet: Christus enim a congregatione convivantium, indutum sordidis vestibus separavit: enim vero non casu, sed apposite Clerici clericatus sui signa habent, quibus a Laicis discernantur, eo pacto, quo characterem in anima ab omnibus distinctum praeseferunt, quo distincte fulgebunt in coelis, et in gehenna signanter notabuntur. Aliiter se gerens Sacerdos, scenicam vestem indueret, personam mentiendo, et dupliciter apparens, nempe scurrilis in conversatione, honestus in ministerio; pius in Templo, indevotus, et irreligiosus per vias, et in plateis. Uniformiter igitur se ipsum semper considerare debet Sacerdos, ut in omni loco, et tempore venerationem exigit.

24 Circa verbum illud *Coinquinari*, et ea quae secum necessario affert, dicam quod damnatur iste error a Conc. Trid. *sess.* 7. *de Sacram. in gener.* *c.* 12. hoc pacto: *Si quis dixerit, Ministrum in peccato mortali existentem (modo omnia essentialia, quae ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit) non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema sit.* Eundem errorem, qui unus erat e 45. articulis Wicleffi, damnaverat Concilium Constantiense, *sess.* 8. *cap.* 4. Pariter idem statutum fuerat per *cap. Roman. de consecrat. dist.* 4. *etc. si justus* 1. *q.* 1. Vide *summ. Sacramentorum, quaest.* 28. *de Bapt.* Attamen talis minister peccat mortaliter ministrando Sacramentum in peccato mortali. Div. Thom. 3. *p.* *q.* 65. *art.* 6. tribus accedentibus secundum Cajet. *Sum. Sac. ubi quinta qu.* 29. Dat enim Deus Sacramenta per bonos, et malos Ministros, sed saepe dat gratiam per se ipsum, D. Aug. *de Bapt.* *l.* 5. *c.* 25. et habetur per *qu.* 1. *c.* multi. et quoad essentialia aequalis est Missa boni, et mali Sacerdotis, *l. q.* 1. *c.* *intra*, Navarr. *c.* 25 *nu.* 78. et *segg.* agunt enim in Sacramentis Ministri non virtute propria, sed Christi, D. Th. *l.* 4. *contra Gent.* Turrecrem. *Summ. Eccl.* *l.* I. *c.* 99. et Ministros Ecclesiae

instrumentaliter agere in Sacramentis non secundum propriam virtutem, sed ejus a quo moventur, docet, D. Th. 3. *part. q. 64. art. 5.* et Barbos. *de Off. et pot. Paroc. c. 17. n. 6.* Peccatum namque mortale est impedimentum, non quidem impediens usum Ordinum, nec Sacramentorum administrationem, sed rectum usum illorum.

25 *Impune*, significat sine venia: proprie vero sine poena et frustra. Perot. *Cornucop.*

26 *Indigne*, scilicet inhoneste, et praeter dignitatem Rei, non Personae. Idem.

27 *Aeternae mortis, etc.* Peccatum mortale est, generice loquendo, Sacramenta ministrare in mortali, Div. Th. et alii apud Toled. *Inst. Sac. add. Victorell. c. 91.* et apud Barbos. *d. c. 17. nu. 4.* sed duo requirunt Cajetan. Sot. Valer. et alii. Alterum ut sit Minister ex Officio, idest, consecratus ad id: alterum ut solemniter administret. Unde Laicus in necessitate baptizans in peccato mortali, non peccat mortaliter, *Cajet. loc. cit.* et alii apud eundem, neque Sacerdos id faciens sine solemnitate, ib. (nec aliter potest intelligi ista exceptio nisi in casu necessitatis.) Tria autem conveniunt in Ministro Sacramentorum, quae ipsum obligant, ut absque conscientia peccati mortalis Sacramenta ministret. Primum est, ipsa spiritualis consecratio, per quam ei potestas data est. Secundum ipsa gratia ad hoc peculiariter collata. Tertium quia in talibus artibus se exhibet ministrum Religionis, charitatis, et cultus spiritualis, et Divini: quorum trium explicatio fit a Toledo, *c. 91 n. 3.* Ideo Sacerdotem, seu Ministrum toties peccare, quoties ministraverit, notat Sil. Cler. 2. *not. 8* Secundum quam opinionem, qui viginti homines communicabit, vicies etiam peccare mortaliter, insinuat Possevin. *de Off. Curati, cap. 5 num. 43.* et Victorell. *in Addit.* cum Suarez, *loc. cit.* qui ait, Parochum assistentem Matrimonio in peccato mortali, non peccare mortaliter, quia non ministrat. Quibus addo, duas opiniones ex Barbosa *d. c. 20 n. 17.* circa ministrantes Eucharistiam. Prima est, et habet septem DD. ibi relatos, quod Parochus non peccabit mortaliter ministrans Eucharistiam in peccato mortali, quia ministrans Eucharistiam consecratam non est minister Dei ad justificationem proxime sicut in aliis Sacramentis, sed tantum est sicut applicans activa passivis. In aliis Sacramentis Sacerdos simul conficit et ministrat, non autem in hoc; non enim est idem conficere, et aliis ministrare. Alia opinio contraria, quae tutior, et probabilior est, et habet enim pro se septem DD. ibi recensitos, affirmat Parochum peccare administrando indigne hoc Sacramentum: in materia enim Sacramentorum quaerere debemus summam integritatem, et conformari Domino in operando.

28 Quod si ignoraverit Sacerdos, se esse in mortali, novi-

ter non peccat sic administrando Sacramenta, quia malitiose non agit. Barbosa *d. c. 7. n. 4.* Tunc solum peccat quando est in claro mortali, vel clare illi constat, esse in dubio de mortali. Possev. *c. 5. n. 40. in fin.*

29 *Non audeat accidere.* Si autem non administraverit, non peccat, quia actum indignum non consumavit. Rubrica enim subdit praecipue administrationem atque ideo tutior regula est, ut non audeat accedere.

30 *Corde Poeniteat.* Ex regula generali, Constitutus in peccato mortali debet conari, ut in gratiam restituatur antequam administret Sacramenta. Tenetur itaque Minister habere contritionem, vel talem attritionem, quae ab eo reputetur contritio quando est in mortali, vel veniali dubio de mortali, alias peccat mortaliter, D. Thom. 1. *p. qu. 64. art. 6.* et alii apud Possev. *c. 5. n. 40.* Advertere ideo debet, solam Attritionem non sufficere ad restituendam gratiam, sed actum contritionis elicere debere. Quod si iste actus reddatur illi impossibilis, ad confessionem commode recurrat, Barbos. *ibid.* Igitur quando noster Textus subdit *Corde poeniteat*, intelligit: Actum contritionis eliciat, idem *c. 20. n. 17.* Contritio enim ex Trid. *sess. 14. de Sacr. Poenit.* Est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, quod per David exprimitur Psal. 12. *Quandiu ponam consilia in Anima mea? dolorem in corde meo per diem?* Et ulterius intelligitur, Textum nostrum de contritione loqui, quia sola contritio extra confessionem restituit gratiam. Quibus addo cum Victorell. ad Toled. *c. 21. in fin.* sufficere contritionem post peccatum mortale si sis ministraturus Sacramenta: tutius tamen esse sacra confessione animam expiare, quam non puto de praecepto esse in hoc casu, ut nonnulli ajunt, est tamen de praecepto in casu Sacerdotis, qui est Missam celebraturus. Si sit attritus, praemittenda est confessio; sed si inculpabili ignorantia, te contritum putares, non patrares sacrilegium si ita ignorans ministrares solemniter. Suarez *sect. col. 3.*

Sed si habeat copiam Confessarii, etc. Quando adsit inopia confessarii ita intelligitur, scilicet quando non adest, vel longius abest, vel timeatur scandalum. Gavan. *Thesaur. p. 3. tit. 8. §. inopia.* Et sic explicantur illa duo verba textus nostri: *loci et temporis ratio*: unde Possevinus optima hic subdit consilia, et remedia omnino a Parocho adhibenda, ad quae remittimus nostrum Sacramentorum ministrum, *cap. 5. n. 44. 46.*

31 Hoc vero advertendum est, quoad Ritum, et Caeremoniam, ne sacerdos indutus sacris indumentis confiteatur, sed antequam ea vestiat: hoc enim magis docet juxta Didac. Murill. *in Scala spirit p. 1. l. 3. cap. 13.* per Gavant. *in Rubr. p. 2. t. 1.* repraesentat enim vestibus sacris indutus, Christi figuram, non Peccatoris.